

A typi in Mose & Aharone fuerunt, qui tyrannidem in grege Domini, tanquam proprio, exercent. Deinde peccant & illi, qui verorum ministrorum operam contemnunt, perinde atq; Israëlita con-
 tra Mosen & Aharonem perpetuò murmurarunt, & immorigeros sese præbuerunt.
 Expendi posset etiam illud, quòd nec Mosen solum, nec Aharonem, sed vtrumq; cõiunctim po-
 suit. Coniunxerat hos duos Deus: & primùm quidem communi officio deputauerat: postea verò
 Aharoni, quæ sacerdotium concernebant, peculiariter iniunxit: & Mose quæ reliqua erant, iudicia-
 ria videlicet, & alia eiusmodi reliquit. Et tamen vtriusq; ministerio hîc datur, quòd ad ducendum
 gregem Domini seruiert. Ambo serui manebant, neuter dominium in alterum vsurpabat: quod
 sui erat officij, ad vtilitatem gregis vterq; fideliter exequabatur. O si Ecclesiæ Christi, vel postre-
 mis istis temporibus detur, vt qui in magistratu sunt, & qui de Episcopatu gloriantur, ita sint gregi
 Domini fideles, & in ministerio Domini coniuncti, sicuti Moses & Aharon fuerunt, vt in manibus
 illorum dissipatissimus ille grex Domini restituatur, adunetur, pascatur, deducatur, & fideliter de-
 fendatur.

PSALMVS LXXVIII.

INTELLECTVS ASAPH.



V SCVLTA popule mi legem meã, inclinate aurem vestrã ad verba oris mei. **VERS. I.**

2. *Aperiam in parabola os meũ, loquar ænigmata iam inde ab antiquo.*
3. *Quæ audiuiimus & cognouimus, & patres nostri narrauerunt nobis.*
4. *Non celabimus filios eorum generationem sequentem, narrantes lau-
des Domini, & virtutem eius & mirabilia eius quæ fecit.*

5. *Et statuit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israël, quæ mandauit patribus
nostris, vt nota facerent ea filijs suis.*

6. *Vt cognosceret generatio subsequens, filij nascituri & orituri, & narrarēt filijs suis.*

7. *Vt ponerent in Deo spem suam, & non obliuiscerentur operum Dei, & mandata
eius custodirent.*

8. *Ne fierent sicut patres eorum generatio deficiens ac rebellis, generatio quæ nõ dis-
rexit cor suum, nec fideliter egit cum Deo spiritus eius.*

B *Ab antiquo.] Græc. & vulg. Lat. Ab initio. Hieron. Aenigmata antiqua.*

*Non celabimus.] Græcus & vulg. Lat. Non sunt occultata. Sic & Hieronymus: Non sunt abscondita. Felix:
Non occultabimus.*

*Generatio deficiens ac rebellis.] Græc. & vulg. Lat. Generatio praua & exasperans. Hieron. Generatio declinãs
& prouocans. Sic & Iustin. Felix: Generatio rebellis & infidelis.*

*Nec fideliter egit cum Deo.] Græc. & vulg. Lat. Et non est creditus cum Deo. Hieron. Et non credidit Deo.
Iustin. Et non est fidelis Deo.*

Siue hic Psalmus ab ipso Asaph, siue à Dauide compositus, & Asapho populo præcinendus tra-
 ditus sit, rectè titulum habet, quòd sit intellectus: isq; non vulgaris, sed propheticus. Nam hic Psal-
 mus Matth 13. Prophetæ adscribitur. 1. Complectitur autem summam, & breuiter perstringit,
 quæ Deus Israëlitis beneficia ab Ægyptiaca libertate ad Dauidis vsque tempora impendit. 2. Dein-
 de quàm illi fuerint reprobi & increduli. 3. Tertio, quomodo eos non statim abiecerit, vt vt enor-
 miter sæpenuerò præuaricatos, sed virga disciplinæ castigauerit. 4. Quarto, quomodo illi per-
 petuò ad ingenium redierint, nec disciplinam receperint, donec tandem prorsus sint à Deo spre-
 ti & abiecti, domus verò Iehudah electa. Hæc omnia amplissimas habentia historias, carmine hoc
 Propheta, veluti quadam tabella, memoriæ gratia cõplectitur, & populo Dei conseruanda propo-
 nit. Neq; enim omnium est, integras historias ex ordine, vt gestæ sunt, memoriæ mandatas retine-
 re. Vt ergo simplicioribus & imperitioribus consultum esset, opera Dei quibus Israëliti toties bene-
 fecerat, hac veluti synopsis comprehensa, cantanda dedit: perinde atq; illi solent, qui res memorabi-
 les, seu bellicas, seu ciuiles posteritati memorandas, carmine complectuntur.

Ausculata popule mi legem meam.] Initio Psalmi animos populi excitat ad auscultandum, & quæ me-
 moraturus est, diligenter percipiendum. Alioqui nisi aures sint ad audiendum, nihil est reliquum,
 quàm vt animi excæcentur & obdurentur. Exigit itaque rectè statim initio carminis diligentem &
 attentam auscultationem, non contentus semel dixisse: *Ausculata popule mi:* nisi adiungat: *Inclinate au-
rem vestram.* Aurium inclinatio non quamuis auscultationem, sed eam notat, quæ est discipuli ad ver-
 ba magistri, qua cum animi submissione ac reuerentia, tacitè ac studiosè, quæ docendi gratia pro-
 ponuntur, vt ritè percipiantur, ne quid effluat, audiuntur. Aliter audit, qui non discendi & obse-
 quendi, sed vel iudicandi, vel irridendi, vel curiositatis, aut fallendi temporis gratia, aut alioqui osci-
 tanter audit.

Ista admonitio ad auscultandum doctrinam Dei, frequens est in Scripturis: & Christus illa ali-
 quoties est vsus, dicens: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quid autem illa opus est in re manifestè
 iusta ac digna, quam nemo negat? *Quis non fatetur, verbo Dei diligenter accommodandas esse
aures? Verum est, nemo hoc negat: at quoniam ita peruersi sumus, vt quæ vana sunt, curiosa, in-*

Y 2 certa,

LECTIO.
 Vers. 2.
 Vers. 4.
 Vers. 8.

*Intellectus
Asaph.*

Vers. 1.